

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christoph Redecker


**Rector Universitatis Rostochiensis Christophorus Redecker I. U. D. P. P. & Ducalis
Consistorii Adsessor Ad Triumphum Michaelis Archangeli Pie, & devote hodie
celebrandum. Omnes Academiae Cives solemniter excitat, humaniter invitat &
serio rogat**

Rostochi[i]: Wepplingius, 1685

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742503046>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

—
1685. Michael.

A-1256. ^{42.}

RECTOR ^{1685.}
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
CHRISTOPHORUS
REDEKER,
J. U. D. P. P. & Ducalis Consistorii
Adseffor
Ad
Triumphum
MICHAELIS
ARCHANGELI

Piè, & devotè hodie celebrandum.

*Omnes Academia Cives Solemniter excitat,
humaniter invitat & Jeriq
rogat.*



Rostochl, Typis JOH. WEPPLINGII, Acad. Typogr.
Anno 1685.

M. 1256 42

1160

Salutem!



Non dubito quin gratissimam voluptatem & lætitiam perfundantur Bonorum omnium mentes, postquam de devicto Christiani nominis hoste Orbis Christianus triumphat, Trophæa erigit & sibi ex animo gratulatur. Nam quis tam pietatis est expers, quis tam a bono publico aversus, quem non victoræ civium, amplificatio Imperii Christiani, & clades crudelissimorum hostium sua sponte delectent! Quid haec tenus terribilius fuit aut esse potuit nobis quam horrendum illud Turcarum nomen; nec id temerè, tot enim Christianorum clades, tot amplissimarum Regionum subactiones, tot præclarissimarum urbium oppugnationes terrorem animis facile incutere potuerunt. Hic quoque juratus Christianorum hostis nostris jam imminebat territoriis, miseram minabatur senibus mortem, durissimam juvenibus captivitatem, nefariam virginibus stuprationem, intolerabilem cunctis servitatem & quod maximum erat, Religioni Christianæ interitum, Vi, metu, ferrò, igne cinxerat

cinxerat sedem nostri Imperatoris, certamqve spem
illam capiendi habebat; nec nostrarum erat vi-
rium tam numero, tam immani resistere hosti
illumqve depellere. Actum de nobis fuisset, nisi
Misericors Deus tot humilibus miserabilium preci-
bus, totqve calamitosorum suspiriis exoratus ca-
stra Christianorum sua præsentia lætificasset, mili-
tum animos, metu dejectos, erexit & debiles
illorū manus confirmasset. Urget præsentia Turni
juxta proverbiū; præsente & adjuvante Deo, qvis
contra hostem alias invictum arma non caperet,
ordines non observaret, agmen contrarium non ag-
gredieretur animo intrepido; Philistæi cum qvondam
perciperēt castris Israelitarū illatam esse arcā
fœderis timore percussi exclamabant: Deus castra
ingressus est Israelitarum, vñ nobis! Cumigitur auxi-
liatrices promitteret manū Omnipotens, non potu-
it aliter fieri, qvam ut acerrimus hostis timore per-
cussus in turpissimam fugam verteretur, castra,
omnemqve apparatus bellicum nostris relinq-
re cogeretur. Deo pugnante pro nobis certam
spem habemus victoriz; nec eventus nos fefellit.
Strigoniū sede Archiepiscopali qvondam illustrissi-
mum occupatum est, undique iterum obsecsum ab
obsidione liberatum. Neuhausel, munitissimum
Hungariæ oppidum expugnatum, pons Esseccen-

sis, egregium Solymanni opus, exustus; Corona
Peloponnesi urbs æstimatissima a Venetis recuperata, Insula Mauræ, olim Leucadia dicta, subacta:
& ut brevibus me exponam, Terra mariqve pullus
ferocissimus hostis est. Lætemur! Lætemur & de-
votâ mente debitas Deo agamus gratias! Et qui-
dem eo magis lætandum. Qvia fortissimus exercitus
angelici Imperator infernalem illum Mahumedem,
Leonem rugientem, nos ut devoret, æternum
circumeuntem, quem Cyprianus Abbadonem,
vel Zabolum nominavit, quoque devicit, gauden-
dum! Superavit hodie Potentissimus Michael immâ-
nissimum humâni generis hostem, illum e cœlis
dejecit, vinculis ligavit & tenebris inclusit, Læte-
mur! Ne autem gaudium nostrum sit futuræ tristi-
tiæ initium, videamus ut idonei hujus Dicis evada-
mus milites. Apud Romanos qui honores Sena-
torios vel Consulares affectabant candidâ utebantur
veste. Ambientium honores militares sub hoc
Duce vestis sit alba candidaque, minimè injustitia &
peccatis polluta. Non creditur militi terreno, nisi
vexillo se Sacramento obligaverit; Nec noster hosti-
um truculentissimorum debellator injuratos agno-
scit milites; sed, anteqvam illos numero suorum
inserit, Sacramento ut se vexillo crucis obligent ne-
cessario requirit, Per Sacramentum enim bâ-
ptiz-

ptismi in album sit receptio. Solerantur nonnulli prius
jurare quam stigmate essent notati, & quidem in
manibus, ut latentes eò facilius cognosci possent,
Non manibus; sed animis crucis signum inscriben-
dum, apprehendendum meritum Christi ante-
quam ad sacramentum hoc militare quispiam ad-
mittitur. Dulciarii, omnesque illi, qui aliquid
tractassent ad Gynæcia, pertinens raro ordinis
militum inserebantur: putabant enim degenerasse
illos affuerudine voluptatum. Ita quoque minus ido-
nei censentur delicatuli, & molles. Mens adsueta de-
liciis multas contraxit sordes & onus militare, ut qui-
dam Patrum loquitur, impar humoris illius, qui uti
suavibus deliciis consuevit. Bellicosissimi, quos
arma vincere nesciunt, voluptatibus subiguntur.
Adamas non mollescit nisi illitus hircinò sanguine,
multi duritiem belli tolerare possebant, nisi deliniti pri-
us fuissent voluptatum fomentis. Mores militum
veteranorum & modum in castris vivendi imitari
tenetur Tyro; Ita & is, qui bellis socios sibi angelos ele-
git, imiteretur mores & vivendi modum illorum. Sunt
autem mores, ut innocentia in sanctitate, & justitia
vivant, Deum celebrent, hominibus inserviant, Inton-
tent inde sinenter; Sanctus, Sanctus, Sanctus est Do-
minus ZebaOTH & omnis terra plena est gloria ejus:
vel, Gloria in excelsis sit Deo, pax in terris & homi-

nibus

nos beneplacitum, vel laus sit Patri, Filio & Spiritui Sancto. Vigilant in rem nostram etiam cum nos in utramque aurem stertimus, nobis in omnibus periculis non desunt suis auxiliis. Mosen in scirpeâ fiscella, Danielem in Leonum fovea, Juditham in hostium castris, tres Danielis socios in in ipsis flammis conservarunt; Ita quoque Christiani militis erit officium Proximi damnum pro virili avertere, bona ejus procurare & illi prodesse quibuscumque rebus poterit. Non autem, O Cives Academic! vobis persquam habeatis quod devictô Satana, devictô Turcâ in securitate vita transigi possit, Minime. Pugnandum nobis adversus sanguinem & carnem, bellandum adversus principes & potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, adversus spiritus malitiae, qui sunt in coelestibus, inter hos hostes vita nostra nunquam tuta est. Actum de nobis sine dubio erit nisi digni ac idonei siamus Michaelis milites; Deponite itaque togam peccatis pollutam, induite sagum innocentiae sanctitatem & justitiam fulgens, tegite vos meritum Christi ceu candidâ veste, ne demum in judicio extremo nudos vos reperiat Deus. Nota vestra sit, Crux Christi, Crux in qua totum redemitioinis opus consumatum, in qua Constantinus Magnus ter vistor hostium exstitit, Crucem Christi vestræ cruci opponite, si velitis omnia superare mala. Estote memo-

memores sacramenti præstiti, receptionis in numero
rum electorum memores estote; Horum enim
memoria desperare non permitit; sed certam spem
victoræ cunctis militantibus præbet. Arripite
clypeum fidei, quod avertere ignita maligni Spiritus
tela possitis, tegite vestra capita galea salutis, quæ
lethales adversariorum remittit ictus. Accipite
gladium Spiritus verbum scilicet Dei, quod superare o-
mnes adversitates possitis, Ita undique muniti non
habetis cur vulnera timeatis. Minentur hostes
nostræ prædia, municipia, ædes sacras diripere, te-
ctis flamas injicere, in reluctantes ferro grassari,
etiam non reluctantes quasi animi gratia jugulare;
Minentur se velle nullius misereri, nemini parcere.
Si modo ita sub Michaele nostro simus armati, va-
na hostium sine viribus ira erit. Angelos hic dabit
nobis suos, ut nos custodian, mille à nobis infortu-
nia, quæ in horas impendent, depellant & contra
impuros istos Spiritus principatus ac potestates,
mundipotentes tenebrarum hujus seculi protegant
& defendant. Mores autem præprimis angelorum
imitemini si velitis amicos illos habere perpetuos.
Morum similitudo maximè amicitiam conciliat ut
contractam dissimilitudo facile dissolvit. Laudate
igitur! Laudate Deum Patrem omnipotentem!
qui ex nihilo vos creavit & ad sui imaginem for-
mayit, Laudate IESUM CHRISTUM filium ejus qui
hodie

hodie deē devicto Luciferō triumphat. Laudate Spi-
ritum S. qvi nos sanctificat & docet ut Michaelis
Archangeli Triumphi simus participes. Laudate
Deum & humillimas agite gratias Michaeli, qvi hoc
die nos non solum de spiritualibus liberare voluit ini-
micis; sed & de infensissimo hoste Turca ut victori-
am egregiā reportaremus, permisit. Si hic suos nobis
non misisset angelos de nobis actū conclamatūq;
foret. Illius soli misericordiæ id debemus qvod adhuc
simus. Laudate eum atq; precibus contendite ab il-
lo ut in posterum nostram almam matrem Acade-
miam à malis conservet, augeat florentioremq; red-
dat. Non aliter enim angeli vivunt qvām qvod
Deum celebrent; Deum tamen celebrando non in-
termittunt hominibus servire; Imitatores simus &
in hoc Angelorum. Natura inter omnes homines
qvandam cognitionem constituit, nefas igitur sit
hominem homini insidiari; Bruta, perrarō in suum
genus s̄avire solent; Multò minus igitur homines,
qvibus mitius natura formavit ingenium, qvos spi-
ritus Dei aliter docuit, Proximum diligito ut temet
ipsum. Hæc si facies non dubium qvin egregius
evadas miles Michaelis. Si Miles Michaelis, Tri-
umphi particeps eris & cum piis redeunti Debel-
latori obviam procedes clamitans: sit Deo laus
& gloria qvi nobis victoriam dedit per Domi-
num nostrum Jesum Christum.






Universitäts
Bibliothek
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn742503046/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742503046/phys_0011)

DFG



memores sacramenti præstium
rum electorum memores e
memoria desperare non perm
victoriæ cunctis militantibus
clypeum fidei, qvō avertere i
tela possitis, tegite vestra ca
lethales adversariorum rem
gladium Spiritus verbum scilicet
mnes adversitates possitis, Ita
habetis cur vulnera timeat
nostræ prædia, municipia, æ
ctis flamas injicere, in relu
etiam non reluctantes quasi
Minentur se velle nullius misericordia
Si modo ita sub Michaele no
na hostium sine viribus ira ex
nobis suos, ut nos custodiant
nia, qvæ in horas impenden
impuros istos Spiritus princ
mundipotentes tenebrarum
& defendant. Mores autem
imitemini si velitis amicos illorum
Morum similitudo maximè a
contractam dissimilitudo faciliter
igitur! Laudate Deum Patrem
qui ex nihilo vos creavit &
mayit, Laudate Iesum Christum

nis in numeris
orum enim
ertam spem
Arripite
gni Spiritus
salutis, qvæ
Accipite
superare o
muniti non
ntur hostes
diripere, te
ro graffari,
ia jugulare;
ini parcere.
armati, va
os hic dabit
obis infortun
at & contra
potestates,
i protegant
angelorum
perpetuos.
conciliat ut
. Laudate
ipotentem
ginem for
um ejus qui
hodie



Patch Reference numbers on UTT

Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No.